

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Diabolus c
cum fonte primo

Anima nunquam a corpore uinceretur
nisi prius a dyabolo teneretur.

Anima enim nunquam a corpore uinceretur,
nisi prius a diabolo temptaretur.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*,
4.62 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds., p.128,
ll.757-758).

Nam nisi quis porci more uixisset,
nunquam accepisset in eo dyabolus potestatem aut,
si accepisset, non ut perderet sed ut probaret.

Nam nisi quis porci more uixisset,
nunquam accepisset in eum dyabolus potestatem aut,
si accepisset, non ut perderet, sed probaret.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*,
6.48 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds., p.191,
ll.498-500).

Sine permissione Dei dyabolum nocere non posse cognoscas
ne potenciam dyaboli magis timeas quam diuinitatis offensam.

Nec excuses fragilitatem:
quia habes imaginem, accepisti munitionem,
unde et hoc proficit ad salutem, ut
sine permissione dei dyabolum nocere non posse cognoscas,
ne potenciam dyaboli magis timeas quam diuinitatis offensam.

Ambrosius super Lucam.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum Lucam*,
7.115 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds., p.252,
ll.1172-1176).